

auctorem et parentem omnis leporis et venustatis Carminum eroticorum et symposiacorum: neque me fugit, Ludou. Christi. Crellium, popularem meum, virum de rebus Academiae Lipsiensis non minus, quam de Scholae Nicolaitanae rationibus, praeclare meritum, conatum esse persequi, peculiaribus libellis, partes venustatis singulas, quam reperisse sibi in his Odariis visus esset. At primum haec virtus sola quomodo possit Anacreontis ingenio vindicare haec carmina, non video, quum multi recentes poëtae potuerint sua huius generis poëmatia eodem distinguere lepore, eademque venustate ornare. Natura enim hominibus ita fauere reperitur, vt omnibus saeculis ingenia, nisi multorum, tamen quorundam, aequè liberaliter impertiat suis bonis. Deinde libenter quidem confiteor, neque vllò modo inficias eo, nonnulla horum Odariorum f) non carere venustate, nec qua sententias, nec qua verba, eorumque iuncturam et ordinem. At illa ipsa poëmatia quum non sint lingua Ionica composita: quis non in eam suspicionem adducatur, vt credat, ea a recentibus poëtis imi-

tan-

f) Vid. Odar. 14. 15. 33. 36. 44. —
16. 17. 19. 28. 29. 30. 32.